



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

3. Adiutorium Christi determinat, ac prædeterminat etiam physicè voluntatem, ut velit & ardentius velit, & ex quo capite istud accidat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

predeterminationem physicam tanquam gratiam, eodem modo & latitudine ad omnem humanam naturam status dilatata, ab Augustino sensibus esse remotissimam, & potius vi humanæ philosophiæ, quam Augustinianæ Theologiæ expressam & inventam esse. Nam apud ipsum nulla alia Christi gratia contra Pelagianos prædicatur, quam gratia quæ per incarnationem unigeniti revelata atque donata est: Gratia qua iustificamur ab iniquitate & qua salvamur ab infirmitate: Gratia qua revelata est per passionem & resurrectionem Christi: Gratia qua ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere sit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur: Gratia denique liberationis, quam implorant quando se hæc dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. Insuper ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes: DARI SIBI PIGNANDI VINCENDIQUE VIRTUTEM PLUR CHRISTI GRATIAM POSCUNT. Hæc est vera gratia Christi, & ista genuina radix necessitatis ejus, prout eam Augustinus in omnibus suis locutionibus docuit. Unde in eodem loco expressissimis verbis tradit Adamum tali adjutorio Christi non eguisse: ILLE NON OPVS

p. 95.

p. 96.
C. 1. 1.
in hoc
cap. 11.

A HABEBAT ADIVTORIO QVOD IMPLORANT ISTI. Nempe quia ille nulla tali rexa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Tantum ergo abest, juxta sanctum Augustinum, gratiam Christi propter indifferentiam voluntatis esse necessariam, ut potius propter amissam indifferentiam ejus, & propter servitutem ac depressionem ejus sub libidinibus necessaria sit, à qua per potentem illam gratiam Christi liberanda est, & in indifferentiam suam primigeniam, vel potius supra indifferentiam suam primigeniam, in actualem determinationem in alteram partem retorquenda. Quod nullo pacto in statu innocentie integritas ejus postulabat. Unde ibidem Augustinus tradit Adamum disparem gratiam habuisse, & latiore; nos indigere potentiore. Sed de istis iterum ex propriis fundamentis disserere nihil opus est, cum alibi satis fuse demonstrata sint, quando de natura gratiæ primi hominis; itemque hominis lapsi; & utriusque differentia ex Augustini principijs disserimus. Hic omnia breviter tantum tetigisse & memoriam retricuisse satis est, ut differentia gratiæ Christi prout ab Augustino ex Scriptoris tradita est, ab illa prædeterminatione physica, prout ex generalibus illis Philosophiæ principijs astruitur, intelligi possit.

C. 1. 1. de Cor.
& grat. 11.Vide lib. de
grat. primi
hom. & lib.
2. de grat.
Christi Salu.
c. 1. 2. 3.
usque ad 14.

CAPVT TERTIVM.

Adjutorium Christi determinat ac prædeterminat etiam physice voluntatem, ut velit & ardentius velit, & ex quo capite istud accidat.

QUÆ quamvis ita sese habeant, tantaque inter physicam prædeterminationem, prout à Scholasticis defendi solet; & medicinale Christi adjutorium discrepantia sit, in hoc tamen, uti diximus, cum ea convenit, quod officium physice prædeterminandi voluntatem ei vere competat, eoque vocabulo non abstractè sed concretè sumpto merito appellari possit. Nam hoc ipso quo, secundum principia sancti Augustini, gratia vera Christi, est adjutorium quo fit velle atque perficere; prout ab adjutorio sine quo non distinguitur; itemque adjutorium non potentiale, quo velle & agere possumus, si volumus, sed voluntatis & actionis, quo Deus facit ut reipsa velimus & agamus; prout ea fuse suis locis demonstrata sunt; perspicue patet, istud adjutorium esse tale, ut voluntatem cum quacumque alia gratia in potentia constitutam ad actum protrahat, non si voluerit (quemadmodum gratia Adami & Angelorum, cum qua reipsa steterunt in veritate; proprium fuit) sed ei efficacissimè præbendo ut velit. Non enim expectat ut voluntas secum influat, quemadmodum in adjutorio Ange-

Vide lib. de
grat. primi
hom. & lib.
2. de grat.
Christi Salu.

Alorum etiam sanctorum accidebat, quorum voluntas ita fortis erat, ut quemadmodum, & quando; & quantum velle; uteretur aut non uteretur adjutorio; sed facit secum influere voluntatem, applicans eam ad volendum agendumque, quicquid per eam Deus volendum agendumque constituerit. Cum enim per terrenas cupiditates voluntas ad non volendum; imo ad repugnandum determinata sit, tollit istam depressionem atque determinationem in contrarium; & reflectit eam in bonum, non solum si libero arbitrio hoc videatur & velit, sed ineffabili sua luce atque suavitate faciendo ut ei sic videatur, & velit. Sic enim Deus avellit cor lapideum & dat cor carneum, sic animam efficacissima potentate convertit, sic duritiam cordis auferit, sic operatur velle atque perficere, sic ex nolentibus & repugnantibus volentes & consentientes facit. Non enim hoc aliter facit quam voluntatem inclinando, applicando, determinando; & quia prævenit ipsam voluntatis prædeterminationem, etiam prædeterminando, non solum moraliter, sed vera, reali & physica determinatione. Moraliter enim prædeterminatio

M m 4

terminatio

terminatio illa dicitur, quæ tantum se habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille qui consulit, suadet, præcipit, rogat, blanditur, sive extrinsecus sive intrinsecus; sed hæc se habet in ipsa potentia voluntatis, quam proprie suavisitatis magnitudine ad volendum applicat, & applicando determinat, utpote causans in ea hoc ipsum ut se determinet, ideoque prædeterminat. Ut enim ex Augustino tanquam rem certissimam asserente declaravimus: *Quis animo amplectitur aliquid quod cum non delectat? Nemo proflus. Voluntas enim ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest.* Ex quo etiam consequenter nascitur, ut quemadmodum idem tradit, *quod amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est. Quid autem? An ipsa voluntas facit ut delectet si voluerit? Absit: Hoc enim ut occurrat, inquit Augustinus, non est in hominis potestate. Et iterum: *Quis habet in potestate ut vel occurrat, quod cum delectare possit, vel delectet cum occurrerit.* Ex quibus principiis necessario sequitur id quod tam constanter docet Augustinus, adiutorium Christi esse adiutorium quo Deus donat ut voluntas velit, aut ex duobus unum præ altero velit, aut ardentius velit, efficiendo ut delectet, aut amplius delectet; quod enim amplius nos delectat, secundum hoc operemur necesse est. Vnde in eodem loco adijcit: *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & indu-**

L. 1. c. 1. ad simplic.

In Epist. ad Galat.

Loco citato ad simplic.

Ibid.

*stria aut operum meritis comparatur. Et quare non? Quia ut sit nutu voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitatis ferventia, ille tribuit, ille largitur. Nempe infundendo delectationem objecti, qua amplius nos demulcente, hoc ipsum necesse est ut velimus & operemur. Quod enim amplius nos delectaverit, secundum hoc operemur necesse est. Ergo & quod volumus aliquid, ex delectatione nascitur, & quod vehementius volumus, ex ardentiore delectatione: Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus eoque delectamur ardentius. Si autem nulla delectatione tangit animum, etiam si hoc bonum esse noverit, nulla etiam ratione hoc ipsum volet: *Nolunt enim homines facere quod iustum est, siye quia laet, siye quia non delectat, videlicet etiam cum non laet. Nam scientia objecti tantum ex generali ratione ad volendum necessaria est, quia ignota nulla cupido, neque concurret aliter nisi ut adiutorium sine quo non; non ut adiutorium quo fiat ut velis. Ex quibus Augustini principiis quæ fufius iam ante declarata sunt, cum de delectationis necessitate tractavimus, perspicue apparet impossibile esse, ut adiutorium illud caelestis delectationis non determinet, imo prædeterminet voluntatem, quia facit ut velis, & sine illa velle non possis; facit etiam ut ardentius velis, & sine illa ardentius velle non possis; facit denique ut necesse sit animum istud sequi, & secundum istud operari quod amplius delectaverit.**

L. 1. de praesentibus 6. 17.

Ibid.

CAPUT QVARTVM.

Conciliatio gratiæ Christi quam Augustinus docuit, cum libero arbitrio, juxta principia Scholasticorum.

IAM si quis scire aveat, quo pacto hujusmodi medicinale adiutorium Christi consistere possit cum humani arbitrij libertate, quæ passim in Scholis tradi solet, atque in eo sita dicitur, quod positus omnibus ad agendum requisitis, voluntas possit agere & non agere, vel agere unum & contrarium ejus, non est difficile ei satisfacere. Cum enim istud auxilium eundem habeat operandi modum, qui physice prædeterminationi tribui solet, ut capite precedenti tactum est, & ex libro secundo de gratia Christi Salvatoris, & quarto de natura gratiæ medicinalis Christi latius intelligi potest, eodem modo libertas illa jam dicta voluntatis, sub illo Christi auxilio incolumis manet, quo sub physica prædeterminatione salvarur. Quapropter quicquid physice prædeterminationis defensores pro sua sententia protulerunt, ut liberum arbitrium sub ea salvum esse persuadeant; quicquid etiam ad dissolvenda oppugnantium argumenta, telaque repercutienda moliti sunt, pro hac sententia dictum putant. Eodem quippe modo libertatem illam arbitrij, de qua ipsi solliciti sunt, incolumem permanere sub illo auxilio medicinali quod

Augustinus docuit, ostendi ac defendi potest. Nam fere quicquid ab adversariis objeci potest, unica illa distinctione sensus compositi ac divisi, quam isti prædeterminationis physice defensores adhibent, solvi ac dissipari potest. Non enim necesse est, ajunt, ut cum omnibus illis ad agendum requisitis, inter quæ etiam caelestis delectatio est, stet simul ut non agat voluntas, sed solum ut possit non agere. In libero enim arbitrio quantumcumque ad agendum præparato, imo determinato & actu operante, reperitur, ut ipsi docent, simulas potentia ad operandum & non operandum; non potentia simultatis, ut videlicet simul agat & non agat. Hoc est, ut clarius dicatur, in libero arbitrio est potestas ad opposita, non tamen potestas ad opposita simul in se habenda. Hoc enim nemo nisi fatuus dixerit. Hoc ergo sensu intelligendum esse docent id quod adversarij ad libertatem postulant, ut videlicet positus omnibus ad agendum requisitis, etiam caelesti quacumque delectatione & prædeterminatione stet simul ut possit non velle, non autem ut simul non velit. Potentia enim non volendi non repugnat omnibus illis ad volendum requisitis, sed solum, quod